PROBLEMA PHARMACEUTICO-MEDICUM AN IN NOSTRA MAGDEBURGENSI...

Caspar Gottlieb Bierling

Ad

HONOREM DEI

&

HOMINUM SALUTEM

Laert. lib. 6. Cap. 1.

ANtisthenes interrogatus, quamobrem tam ſeverus eſſet Diſcipulorum objurgator? Et Medici, inquit, Erga ægrotos. Significans ſe vitia objurgare, non homines.

BENEVOLE ET CORDATE LECTOR.

EX SACRI ROMANI IMPERII Academiæ Naturæ Curiosorum auctis & reformatis legibus, qvæ in Annô secundô, Annô scilicet M.DC.LXXI. Ephemeridum Medico-Physicarum Germanicarum curiosarum reperiantur LEX I. ita sonat.

GLORIA DEI, MEDICÆQVE ARTIS ILLUSTRATIO, & PROXIMI EXINDE RESULTANS COMMODUM, ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM, SOCPUS ESTO, ET CYNOSURA UNICA. Igitur in DEI GLORIAM de bellô DEI,



PESTE nimirum, morbô penè incomprehensibili, & affectu humano generi, truculcintissimò in genere; Ad PROXIMI verò commodum, MEDICÆQVE ARTIS Illustrationem in particulari aliqvô problemate, curationem pestis methodicam, qvoad medicamenta ἄνω καὶ κάτω evacuantia concernente, calamum arripere asus sum.

Paulum Barbette redivivum, qui de Peste scripsit ut pauci, in mundanô theatrô repræsentare, constitueram. Verum cum nonnemo in scelestâ aliqvâ de scientiarum vanitate scriptione, qui cum Theologos & Peritos jure fœdissimis lutulasset titulis, ne Medici inhonori discederent, hoc illos donavit Elogiô: Medi-

Medicorum est honestè vestiri, strenuè mentiri, audacter occidere, vid. Henr. ab Heer Observ. Med. oppidò rar. p. 143. mecum consideravi, qvomodo Ego, si Medici homines nondum mortuos audacter occiderent, aliqvem jam jam morti traditum inter vivos iterum revocare vellem. Hinc etiam mente mutatâ fictitiam qvoq; resuscitationem, vel redivivam *Pauli Barbette de Peste* repræsentationem ob varias prægnantesq; rationes inter misi, illam in aliud, commodiusq; tempus datâ occasione, reservans. Interim præfatus Autor de scientiarum vanitate, dubiô omni semotô elogium prædictum de Medicis Empgricè & non secundum Methodum medendi per indicationes, sed propter vellus aureum curationes suas instituentibus, intelligere, & qvidem jure meritò, voluit. Qvis enim tam impudens esset, ut Medicos Dogmatico-Rationalis atq; Methodum Medendi per Indicationes in curationibus ægrotorum observantes, neq; latum ungvem qvidem ab eâ, nisi alijs certioribusq; rationibus devicti, declinantes, tali elogiô scelestô pro tot patratis cum vitæ periculô sui suorumq; conjunctis servitijs, tot cordatis consilijs, imò diurnis nocturnisq; meditationibus atq; laboribus molestare vellet. Medicorum & Medicinæ Laus atq; dignitas, deqvibus *Hieronymus Bardi ad Paulum Zacchiam* seqventia scripsit: *Quid autem de Medicorum clarissima ac penè divina arte dicam? cujus nobilitatem utilitatemq; divinæ inventioni consecravit Antiquitas. Et verò quid in hâc vitâ salubrius hâc arte reperies qvæ vitam salutemq; omnium regat, ac tuetur. Quid tam admirabile, quam unum hominem cum infinitis morborum exercitibus in nostra mortalitatis campô conflicturi, atq; ita confligere ut eos in suô regnô, in suis castris ipsorum armis profliget atq; debellet. Quid divinius quam (quod vix semel de Hercule mentiri ausæ sunt fabulæ) verissimè tamen Medicum in dies atq; horas cum morte luctari, nec solum colluctari, sed captivas*

vas etiam animas, propè de Orci faucibus ereptos, iterum in desperata derelicta & quasi deposita corpora ad hujus usuram lucis sæpè ac sæpius revocare! Mihi quidem istis vitæ mortalium Imperatoribus (sic enim Medicos, appellare licet cum sapientissimô virô, qvibus illi ipsi ultrò parent, qvi cœteris imperant) *nulla unquam videntur satis ampla præmia honoresq; debiti â gratis civibus (ab ingratis verò nulla) decerni posse; ut enim homini nihil vitâ carius, nihil valetudine jucundius, sine quâ voluptates ipsæ nihil habent voluptatis itâ nulla ars huic arti de hominum communitate bene-merita videtur ante ponenda: quippe quod Sacratissimæ auxiliatricis Dei menus dignoscit nomine condecoranda.*

Medici qvidem multoties vana committunt prognostica, qvia salus hominum non in illorum, sed dei omnipotentis potestate sita est. Præstat tamen juxta vulgarem paroemiam â sexaginta Medicis morti addici, qvam â sex Scobinis Hisce igitur Vale & Fave

OCCASIO SCRIBENDI.

H*ac non fuit, quòd dubitarem, an sit Pestis?* Evincit ejus præsentiam 1. Sacræ scripturæ liber, 2. Patrum seu Majorum nostrorum memoria, 3. Nostræ aliarumq; civitatum â contagij labe infestarum ipsa pernicies. In sacris literis 2. *Regum cap. 24. legimus sequentia: Surrexit itaq; David manè, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam & Videntem David, dicens: Vade & loquere ad David: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio; elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi. Cumq; venisset Gad ad David, nuinciavit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terrâ, tuâ: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur, aut certe tribus diebus erit pestilentia in terrâ tuâ: nunc ergò delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.*

Di-

Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis, sed melius est, ut incidam in manus Domini (multa enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum. Immisitq; Dominus pestilentiam in Israel de mane usq; ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populô à Dan usq; ad Bersaba septuaginta millia virorum.

In prophanis qvoq; Autoribus hujus detestanda sævitia, ac tyrannis inexorabilis hinc indè legitur. Anno 1457. Lipsiæ bimestri spatio 8000. hominum â peste devorata sunt. Vid Tob. Heydenreich in chronic. Lipsiens. 64. Anno. 1353. Erphordiæ 28000. hominum pestis eripuit *annotant. Michael Saxon in vita Friderici III. Imperatoris.* In eâdem civitate pestis viginti qvatuor horarum spatio circa diem Laurentij. 1500. homines interemit, uti refert *Spangenbergius in Chronicis*: Hâc vice utra qvadraginta & fermè ad qvinqvaginta usq; millia hominum ut ab amicô qvodam per litteras accepi, ibidem abstulit. Et cur numerus Autorum hâc de re, consulendus, cum qvilibet nostrorum αὐτόπτης fuerit. Ex Oriente enim sævitia ejus ac tyrannis Viennam invasit, dehinc Pragam, postea Dresdam, ultra famigeratíssimum; Emporium urbem Tiliarum ad Plins-Elistrum sive Lipsiam Patriam meam dulcissimam proh dolor! immanitate suâ devastare incepit. Incidebant atq; similibus irati Dei flagellis castigabantur Burgenses, nostri vicini, tanqvam exitatores nostræ civitatis nostrorumq; civium ad expianda non laceratis vestibus, sed contritô corde pro omnibus ex omnibus commissa generibus peccata, contraq; Dei præcepta transgressa. Antecedentem subseqventemq; Pestis nostræ statum sub considerationis incudem si revocemus, qvis aliter confitebitur qvam qvod præter propter ad qvinq; millia hominum â pestifera lue apud nos enecata fuerint. Latius enim suæ ditionis pomeria extendebat, ut vix ulla platea, in plateis ædes, in ædibus inhabitator

im-

immunis ab hôc deprehenderetur malô pestiferô. Ast minima hominum pars exindê consvetas relegabat transgresſiones, sed libentius cum sadducæis resurrectionem mortuorum, extremumq; judicium negantibus, etiam pestem ipsam, illiusq; contagium(de qvô in seqventibus) nisi ante oculos versaretur, denegasſent. Horum hominum maximus splendor, qvia ex plumis dignoſcbatur avis, Epicureorum consiſtebat jactantia:

Ede, Bibe, lude poſt mortem nulla Voluptas.

Aſt peſtilentia inobedientibus poenæ loco â Deo, ad judicatur. Unde Levit. cap. 26. §. 23. 24. 25. seqventia extant verba. *Qvod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi, Ego quoq; contra vos adversus incedam, & percutiam vos septies propter peccata veſtra, inducamq; super vos gladium ultorem fœderis mei: cumq; confugeritis in urbes, mittam peſtilentiam in mediô veſtri. Quis igitur amplius miretur, cur non septies,* per septem nimirum menses sed ultra altâ ab hac plagâ flagellati ſimus? Sed qvid fecerunt ovis.

Neq; cur ſit, & homines inficiat? Peſtem bellum Dei esse, antea dictum. Iratus enim Deus noſtræ perverſitati interdum peſtilentiam immittit, hâcq; pertinaciam noſtram & peccandi libidinem caſtigat. Teſtantur hoc tum exempla, tum comminationes qvæ in sacris litteris passim exſtant. Sed multoties peſtis eſt etiam bellum Diaboli hoſtis humano generi infensiſſimi, ad devaſtandos homines permisſione Dei, per se & inſtrumenta sua, Magos nimirum, aliosq; ſibi devinctos, qvorumq; lucrum eſt mori, excitatum: Per se: Apud *Procopium lib. 2. belli Perſici*, in ingenti illâ & admirandâ ſine contagiô lue apud Peluſiatas Ægyptios ortâ, qvæ Cosrois & Juſtiniani tempore penè totum orbem depopulabatur, viſi humana specie

cie Dæmones versari in publicis privatisq; locis, nocte, die, & ebrios, etiam in somnô virulento & ardenti afflatu suô, imò & plagis percutere: unde Hebræi hos Dæmones Mersinim & Rhessaphim, id est, exitiales & ardentes seu ignotos vocant. Americanæ historiæ produnt, in salinis Peruanis pone flumen Consatam, Indis apparuisse spectrum gigandea magnitudiue, ventre sectô & eviisceratô, ulnis gestans binos infantulos, & dira denuncians. Conttempsisse primum rudes Incolas, eó qvod sole lucente apparuerat: secutam verô horrendam hominum stragem Vid. *Hieronym:-Jordan de eô quod divinum aut super naturale est in morbus humani corporis ejusq; curatione Cap.*38 *p.*142. *&* *Caspar à Rejes Elys. juc. quæst. camp. p.*712 Per instrumenta sua: Interdum vespillonum, aliorumq; sceleratorum hominum malitia per pulveres sparsos, aut ungventa venenata, aliaq pro alexipharmacis vendita pestis disseminatur. Sicut apud *Livium decad.*5. *Hercul. Saxoni libr. de Plicâ Polonicâ cap.*11. *Quercet. libr. de peste cap. Wier. de veneficiis libr.* 3. *cap-*37. *Thom. Jordan. de peste phænom. Tr.*1. *cap.*18. *Gaspar. à Reies p.* 712. videri licet.

Neq; qvid sit? Hic enim Rhodus; hic salta. Qvi mihi pestis naturam & essentiam, in qvâ consistit, fundamentaliter explicabit, alter erit Apollo. Ut paucis dicam plura, incomprehensihilis â Paulo Barbette in tractatulo suo de peste eruditô fol. 407. vocatur, & qvidem tam qvod poena Omnipotentis Dei sit, qvi judicium suum incomprehensibile atq; essentiam (qvæ tamen describitur) ab hominibus examinari minimè concedit, qvam qvod mutabilis adeò, ut si omnes omnium pestilentias studiosè memoriâ repetamus, nullam exhibere liceat, qvoad omnia alij cuidam similem. Et pag.109. & 110. hæc habet: De externis (sc. causis) nullus unquam multum dubitavit, àt cui natura eorum cognita? Chymici, simplicium

me-

medicamentorum partes ignis ope accuratè ſatis reſolvere valentes in Sale volatili ſangvinis ſal fixum ſubitò disſolvente, contagium qværunt, qvod veritatis aliqvam ſpeciem habet, at ſapientiæ ſal omnes haud guſtarunt, nec inſulſis hominibus mundus unqvam deſtituetur, omnibus adeòq; dicta placere imposſibile. Ex aliis ſi qværas, qvæ hujus contagii cauſa, multa reſpondebunt, at nihili omnia. Cœlo ſæpius peſtem dimitti conſtat. Aſtra non ſolum lumine, ſed etiam qvalitatibus varijs ac peculiari influentiâ in ſublunaria agunt, at qvis hic, præter incertas infirmoq; fundamento innixas ſuſpiciones exhibebit? Haut ignota aſtrologia, uti & ex aſtrorum curſu, concurſu, atq; oppoſitione deſumptarum prædictionum incertitudo; at aſtra intueri hìc non eſt locus. Aërem qvoq; modis varijs infici poſſe, minimè nos latet, huc vapores terræ, ignis cadentis inſtar in nos iterum demisſi aqvæ foetentes, cadavera terræ aut non, aut malè mandata; Auſter putredinem promovens; Homines infecti, contagium alijs ſucceſſivè communicantes, ſicq; & homines plures & aërem ipſum corrumpentes. Imò etiam ſtramen, veſtimenta, epiſtolia, variaq; ejus generis alia, miaſmata hæc peſtilentialia diu conſervare poſſe, tandemq; eadem tractantem inficere, non ſine admiratione obſervamus. Sed hæc omnia non niſi qvænam illa ſint, qvæ venenum peſtilens inferunt, declarant, at verò qvid illud ſit & in qvô natura ejus conſiſtat, nullus hactenus declaravit. Hinc rectè â ſcaligero is felix vocatur, qvi poterit rerum cognoſcere cauſas. Certé ſi iſta felicitas tempore peſtis nobis Medicis etiam âffulgeret, feliciores ejusdem, ni fallor, inſtituerentur curationes, de qvibus in ſeqventibus.

Neq; an ſit morbus contagioſus? Hæc multis & multis mortem varias ineffabilesq; ob rationes metuentibus

magiſtralis & admodum ad palatum qvæſtio eſſet, ſi non probabiliter, ſed ex rei veritate experientiâq; confirmari poſſet. *Petrus Salius Diverſus de Febrib. peſtilent. cap.* 11. *ut & Renelmus Digbaus* cum nonnullis alijs id qvidem probare conantur. Sed inter omnes conſtat Medicos, proprium qvaſi charácterem peſtis eſſe contagium, nec unqvam obſervatum fuiſſe, peſtem aliqvam ex naturalibus cauſis productam contagione caruiſſe. Unde & *D. Baſilius in homiliâ ſuper* Pſalm. 1. *David. ait. Ab omnibus tam Philoſophis quam Medicis hoc peſti ſingulariter tributum, ut ſit contagioſa, ac uno infectô polluatur & alter.* Et melius illos informat *Sennertus libr.*4. *cap.*1. *de naturâ peſtilent. pag.* 372. ſeqventibus verbis. *Etſi itaq; omnem peſtem contagioſam eſſe ſtatuamus: tamen de naturâ & eſſentia peſtis contagium non eſt, neq; ad ejus formalem rationem pertinet, ſed eſt accidens, naturam peſtilentiæ ſequens: tale tamen, quod omni quidem, ſed non ſoli competit, Plures enim alij morbi, ut lepra, lues venerea, pthiſis, ſcabies, atq; alij quidam contagioſi ſunt &c.* Hinc non ſeqvitur; ſi peſtis eſſet contagioſa, omnes iſtius contagio inficerentur. Dentur enim alij morbi contagioſi, non autem omnes ab iſtis morbis contagioſis contaminantur. Experientia hac in re non ſolum hic ſed & alibi locorum loqvitur. Cur autem huic ſubjecto magis quam alteri venenum peſtiverum nocivum ſit, in hâc naturæ caligine, & formarum ac qvalitatum occultarum inde pendentium ignoratione, qvis explicabit. Præſertim cum etiam Omnipotens Deus ſuos in maximis periculis conſervare poſſit, neq; mundum per peſtem deſtruere vult, ſed illum ad altiora judicia reſervet. Refert *Horſt. lib.*2. *Epiſt. ſect.*2. *de urin. peſtil.* peſtem illam tempore Caroli IV: Imperatoris cum ordine, Franciſcanorum ſingularem convenientiam habuiſſe, qvorum per triennium 124434. jugulati ſunt. Vid. etiam hâc de re *Cardan. libr.*8. *de rerum*

vari-

variet. cap. 4. Fernel. lib. de abdit, rerum causis cap. 12. Joubert. cap. 2, de peste Phil. *Scherbium in thes. med. Albertum Crantzium & Funcium in chronicis.* Et horrendam suæ ætatis pestem universalem multis narrat *Evagrius lib. 4. cap. 29. Domus illæ,* ait inter alia, *quæ illæsæ permanserant sequenti annô solæ morbum hunc sunt passæ. Et quod præ omnibus admirandum, si quando civitatum hoc morbô correptarum incolas alibi degere contigit, quò morbus iste nondum venerat, soli corripiebantur ab illo, qui ex civitatibus infectis degebant in civitatibus adhuc ab eâ lue liberis.* Et si pestis absq; ullô contagiô esset, cur jussu Magistratus infectorum ædes occluduntur, in istis ad huc viventes & sani â reliqvorum hominum consortiô abstrahuntur, & nonnunquam eorum supellectilia una cum vestimentis & aliis, lotionibus non contentis, comburuntur? Qvi plura de contagionis natura desiderat, evolvere potest *Matth. Unzer. de lue pestif. lib. 1. cap. 6. p. 23. cum sequent.* & satisfactionem inveniet.

Non unde cognoscenda sit? Infiniti enim libri signa hujus diagnostica graphicè depingunt. Obiter hic sollummodò admonendum, periculosis temporibus (uti qvoq; hic factum) non expectandam esse bubonum & carbunculorum eruptionem priusquam de pestiferæ luis præsentiâ judicium sit formandum. Tunc enim illa etiam lippis & tonsoribus cognita est. Loqvor autem de bubonibus & carbunculis pestilentialibus. Reperiuntur enim bubones & carbunculi non pestilentiales, qvod optimè discernendum. Deqvibus legi possunt *Joann. Jouston. Syntagm. univ. medic. pract. p. m.* 519. *& Samuel Hafenrefferus Nosodoch.* p. 251 & 262. Miserrimo infectionis tempore ad Virginem aliqvam præter propter duodecim annorum vocabar, qvæ in sinistra colli parte sub aure tumorem notabilem insigni cum dolore, præprimis in motione capitis & qvando digitis premebatur ob con-

ſenſum membrânoſarum, tendinoſarum, nervoſarumq; partium portabat. Cum verò nulla alia ſymptomata adesſent, neq; ſeqverentur, actiones etiam naturales, vitales, & animales rectè obire posſet pro infectam illam neq; proclamare, neq; â cœtu ſanorum ſeparare potui. Tumor modo decreſcendo, modo iterum incrementum ſumendo ſpatiô præter propter duodecim dierum, adhibitis, cum provocatione per aliquot dies ſudoris, vilisſimis externis medicamentis evaneſcebat. Optimè mihi notus eſt juvenis quidam aliqvot viginti annorum, qvi ab incunabilis bubones modô in hâc, modò in alia emunctoria parte absq; ullâ moleſtiâ gerit, & etiamnum cuilibet volenti illos demonſtrare poteſt. Si miſer hiſce temporibus ſub aliô morbi genere fortè fortuna ſuccumberet, peractâ viſitatione certò certius pro infectô divulgaretur, & in curru noſtrô triumphali â bipedibus ad ſepulturam traheretur. Valet itaq; argumentum: Ubi ſunt bubones & carbunculi peſtilentiales, ibi peſtis ipſa. Sed non viceverſa. Vid. *Sennert. de febrib. p.* 418. *Gieſler. de peſte Brunſvicens. Obſ.* 10. *Franciſc. Valles. Covarrubienſ. in lib.* 2. *Epid. Hippocrat. ſect.* 2. *p.* 83. *lit.* F. Igitur hiſce in caſibus non unicô ſed pluribus ſimul ſumtis pathognomonicis nimirum ſignis, uti vocantur, fidendum. Habuimusne per aliqvot annos in & extra noſtram civitatem grasſantes febres mali moris & rebelles, ordinarijsq; remedijs antifebrilibus non cedentes, imo ipſo Chamæleonte mutabiliores? Has ſeqvebantur febres perechiales, ita ut, abſit omnis philautia vanaq; gloria multoties ex unâ familiâ unâq; in domo â qvatuor ad ſeptem uſq; perſonas iſtis laborantes ſpatio qvatuordecim dierum viſitaverim. Eôdem etiam tempore â tali febri petechiali Experientisſimus Vir, Dominus Johannes Mauritius Reineſius Phyſicvs noſter meritisſimus & vigilantisſim.

in

inopportune qvidem nobis ſubtrahebatur. Vulcano domicilia aliquot in qvibus ordinariè milites habitare ſolent Sole adhuc in medio exiſtente tradebantur. Qvot qvæſo caſus improviſi & inſperati hinc indè ſubitò accidebant, mortales tanqvam fulmine tactos è mediô auferentes. Infectio civitatis Burgenſis & promontorij qvaſi noſtri civitatis nimirum Lipſienſium horologium Dei erat, nos omnes ad veram, veram innusqvam non ſimulatam poenitentiam excitans.

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Ut in *couſilio meo peſtifugo ex Horatio*, & qvidem in ipſo temporis articulô monui. Tranſeant cætera de qvibus mihi adhuc nulla certa fides eſt. Prædictis ex rationibus non ſimulatis, ſed ex artis Medicæ fundamentis erutis multi circumſpectiores facti Hannibalem non amplius ante portas Magdeburgenſes eſſe, ſed in mediâ & largisſimâ civitatis parte jam jam caſtra ſua poſuisſe, ſibi perſvaſerunt. Nec eventus ipſos fefellit. Qvis enim tam credulus esſet, ridiculoſis narrationibus fidem adhibere, dicentes: Hic ex ingurgitatione vini ([illegible]m tamen iſtâ ex domo ſtatim ſepvebantur plures) Illa ex eſu ribium tam ſubitò vitam cum morte commutarunt. *Paulus Barbette de peſte fol.* 409. aliam nobis præbet informationem, afferens; Internam ſcil. cauſam qvod ſpectat: Cibum potumqꝫ ſubitaneam ejusmodi magnamqꝫ mutationem nulli corpori inferre posſe, ſatis conſtat. Hinc infectionis tempore non expectandum donec fractis clauſtris compedibusqꝫ ſolutis in publicum prorumpit magnô conatu peſtilens virus, malitiamqꝫ qvâ hactenus malitioſe ex occultô aliqvibus fuit infeſtum, in apricum profert, claſſicum canit, omnibusqꝫ & ſingulis univerſæ civitatis incolis apertum bellum indicit, ut loqvitur Gieslerus de Peſte Brunſvicenſ. Obſervat. 7. ſi ſigna diagnoſtica inqvit

AndreasBetermann in ſua diſputatione de peſte prima Theſ. XXXVII. ſunt benè ponderanda ullô in morbô, maximè ſunt perpendenda in hôc. Vertitur enim ſalus totius Reipublicæ in Medici judiciô: ſi enim peſtem æſtimaverit, qvæ talis non eſt, Rempubl. lædit; dumq́ mox excluditur â communione & commerciô vicinarum Rerum publ. Contraverò ſi peſtem non æſtimat, qvæ tamen talis eſt, permittit, ut contagium ſenſim atq; ſenſim irrepat, & disſeminetur, qvô factô perperam deinceps adhibetur cura prophylactica. Aurea igitur verba *Daniel. Senert. in tract. de febrib. p:* 423. prolata, præferenda: Si vero an aliqvis peſte laboret, adeò planum non ſit, ut quamprimum id rectè cognoſcatur, laborandum, & danda diligens opera ne qvid vel per ignorantiam, vel per malitiam occultetur. Et ſi qvis de peſte ſuſpectus ſit, & ſi ſigna demonſtrativa planè non adſint: præſtat tamen hâc in re nimis cautum & meticuloſum eſſe, qvam temerarium. Et cum totius Reipublicæ ſalus hic agatur, eſt Magiſtratus potius de totius Reipublicæ qvam unius privati privatô, quod ex peſtis diffamatione periclitari posſet, commodô esſe ſollicitum; & Chriſtiana charitas in ſingulis id reqvirit, potius etiam in ſusſpicione peſtis ſaltem aliqvandiu ſe domi continere, qvam vel ignorantiâ, vel temeritate in plures aut totam Rempublicam, ſeu per ignorantiam, ſeu malitiam hoc fiat, malum tam pernicioſum ſpargere.

Multò minus vulgarem auram & popularem famam captandi gratiâ! Qvis enim delicato hoc ſeculo in materia niſi ſit aurifera ſatisfacere poteſt. Et qvomodo ille, qvi informationem publicam petit, alios edoceret, vel gloriam indè expectare posſet. Abſit fumus gloriæ, valdè, etiam â levisſima nubeculâ obſcurabilis, ventóq; nonnunqvam plus qvam inani disſipabilis. Non deſiderantur

enim

enim libri de peste conscripti. Uti non datur in mundô vacuum, ita nec in Musæis & Bibliothecis, qvæ tractatibus de peste editis ab eorum affluentia tam repleta, ut nullus qvasi locus pro illorum repositione amplius reperiatur. Utinam vero singuli essent absq; philautiâ atq; jactantiâ. Multos enim reperies, qvi de peste scripserunt, & tamen nunqvam aliqvem peste infectum visitarunt, Mutlò minus bubones & anthraces cum eorum mutationibus variationibusq; proprijs oculis contemplati sunt. Et qvod magis, qvemlibet sesquipedalibus verbis persvadere omnes intendunt nervos, se solos esse, qvi rejectis veterum opinionibus, unà cum eorum curationibus pestem profligare possint. Sed miser Adame qvorsum tendis? Qvis enim Medicorum absq; benedictione divinâ vilissi mum etiam morbum propriò marte eradicare potest, multò minus pestem, affectum profectò curatu difficillimum, & inter reliqva morborum genera primum. Nec nova profers, qvia descripta leguntur. Duo solummodo temeritatis exempla, unum â Medicô alterum â Chirurgiæ quodam famulô commissa tibi ante oculos ponam. Secundus, postqvam primus inter mortales esse desinebat Medicus noster pestilentialis prolevissimâ re pestem agnoscebat, sed brevissimô temporis spatiô ejus vehementia vitæ filum ipsi cum omnibus suis relictis detruncabat. Prænominatus Chirurgiæ famulus Hamburgô ad nos venerat, & â vulgô Longus appellabatur, eqvitabat per urbem, & cum infectos visitare vellet, in ædium introitu ad dissipandum venenum minimum explodebat sclopetum. Sed cum vitam ageret plus quam Epicuream, & carbunculum exscindere, sineq; noxâ eum devorare velle, sese jractitaret, factum ut brevi post carbunculi illius minas eludentes ipsum

con-

con ſumerent. Tecum igitur habita & noris, quam ſit tibi curta ſuppellex. Hujus enim ferocia etiam viris in arte chirurgicâ benè exercitatis non parcebat, in qvorum numerō etiam Dn9. Chriſtianus Zeien, Amicus meus integerrimus, qvem adhuc deploro, erat.

VERA VERO HÆC FUIT? Cum ex plagâ orientali Regnoq; Turcicô ob civile bellum nihil metuendum, tamen hoſtis ille Chriſtianæ Religioni infenſiſſimus armatorum hominum locò Peſtem horrendum & plerisq; exitioſum malum, qvaſi Præcurſorem futuri adventus, Viennam, IMPERATORIS GERMANICI AUGUSTISSIMI & INVICTISSIMI, Collegij Academiæ Natur. Curioſ. PROTECTORIS SUMMI, ſedem ſtabilem & domicilium certum miſit, ibiq; cum ſuburbijs ad ſeptuagiſiesmille homines interfecit. De hinc alias Regiones civitatesq; noſtræ Germaniæ diris ſuis vulneribus non leviter ſauciare perrexit: Cuilibet igitur Medico cordato officij cauſa impoſitum erat, ut talia ſibi præpararet arma, qvibus malignum atq; terribilem, nec non procul amplius diſtantem, prælium q; omnibus indicentem hoſtem ex cipere posſet. Diurnâ igitur noctur nâq; manu libros de peſte conſcriptos evolvebam, & præ primis de illius methodicâ curatione, qvæ nobis ex arte pharmateocicâ & chirurgicâ talia arma monſtrant, quibus hoſtis vel impediri, vel diminui vel in confuſionẽ redigi vel etiam in fugam profligari posſit, annuente Divina Clementiâ ſollicitus eram. Qvid enim Magiſtratus absq; ſubditis, qvid Civitas absq; incolis? Qvoniam verò Armarium noſtrum, & præprimis pharmaceuticum infinitis, fermeq; innumeris eſſet inſtructum armis, nobisq; etiam cum hoſte malignô atq; ignotô, qvæ prælia infinitis obnoxia ſunt periculis, dimicandum, qverenam ex

hiſ

his in primô conflictu hostibus, jam jam primis excubijs præservativis nimirum expositis atq; perditis, opponenda atq; seligenda essent, hic opus, hic labor erat. Tres igitur Machinæ fulminales, magnitudine, vehementia, atq; fortitudine relictas longè superantes indè extrahebantur. Nam duro nodo, durus qværendus erat cuneus. Prima vomitio secunda purgatio, tertia alexipharmaco-sudatio appellabatur. Sed omnes tres unavice simul contra hostem vibrare nimis periculosum atq; temerarium, imò fermè impossibile erat. Nobile enim subjectum & receptaculum, in qvô malignus hostis residet, certô certius simul cum ipsô hoste prosterneretur. Duas ex his tribus præprimis Antimoniô & Mercuriô repletas simul explodere, optimi hôcq; in bellô maximè experti duces svadere nolebant regerentes. Hostem fortem & malignum, & ubi victoria ambigua non semper, vi & Marte, sed multoties calliditate & arte tutius in fugam conjicere posse juxta *Ovidium lib. 2. de arte amandi:*

Cede repugnanti cedendo victor abibis.

Qværnam igitur ex his tribus machinis securè eligenda? Cum itaq; inter spem & metum hærerem, Ecce, mihi hinc inde cogitanti SENNERTUS, qvem semper in praxi meâ cùm nonnullis Neotericis pro duce agnovi & habui, in aures qvasi susurrabat: IN SPECIE AUTEM QVOD PESTEM ATTINET, VIX EI INTER MITIA VIDETUR COMPETERE PURGATIO. *Videsis ejus institut.* p. m. 1124. Relictâ Imâ nimirum purgatione ad alteram sc. Vomitionem accessi. Ast Laurentius Gieslerus de Peste Brunsvicensi obs. 13. plenis buccis efferebat: PAUCOS ESSE SERVATOS

 QVI-

QVIBUS VOMITUS SIT IMPERATUS STATUUNT MEDICI; DICTITAT HOC RATIO, & EXPERIENTIA CONFIRMAT. IDEOq; HIC MAGNA CIRCUMSPECTIONE OPUS EST, NE INCIDAS IN SCYLLAM, DUM SATAGIS VITARE CHARYBDIM. Aſt uti jam monui, magna circum ſpectione & firmo ϛοχασμῷ, hic opus eſt, ne noceas illi, cui veneras auxilio. Maxima ex chorô Aſclepiadeô pars mihi acclamabat: SELIGE TERTIAM SELIGE TERTIAM. GERIT PROPTEREA DUO NOMINA, & NERVOSE ALEXIPHARMACO-SUDATIO NUNCUPATUR, QVIA UNICE AD DEBELLANDOS HOSTES MALIGNOS DICATA EST. Hinc juſſu Majorum & ducum hôc in bellô exercitatorum præmeditatè & intrepidè fretus Divinâ benedictione, tertiam illam machinam ex tribus prædictis elegi, illamq; invaſionis tempore primâ vice Antidotis & ſudoriferis onuſtum, in hoſtem malignum non ſine notabili illlus læſione per DEI Gratiam conjeci. Sed paulò poſt pulveres ἀνα καὶ κατω utplurimum operantes in & extra civitatem noſtram catervatim à Medicis nonnullis, Medicorumq; Simiis atq; Simiolis in vulgus diſſeminabantur. Horum operationes mortui deprædicare non poſſunt, hinc â viventibus illorum commendationem unâ cum datâ ratione, deſidero. Habes hic Erudite & liber â præconceptis opinionibus Lector ſummam ſcriptionis, & â TE meliorem informationem qvoad præfatum problema Pharmaceutico-Medicum TUUS expectat ſemper deditisſimus. Ulteriorem explicationem ſeqventia TIBI monſtrabunt capita.

Pro-



Problematis propositi summarium in octo Capita divisum.

Cap. I. An vomitoria in febribus malignis & præprimis peste præservationis gratia præscribenda?

II. An vomitoria in Curatione febrium malignarum, & præprimis pestis indicentur?

III. An purgatio ad præcavendas febres malignas & præcipuè pestem ordinanda?

IV. An purgantia in febribus malignis & peste in principiô indicentur?

V. An medicamenta ἄνω καὶ κάτω evacuantia febres malignas & pestem præcavere possint?

VI. An medicamenta per superiora & inferiora operantia in febribus malignis & Peste Methodicè per indicationes in principiô adhibeantur?

VII. An prædicta in nostrâ peste Magdeburgicâ indicata, & tutò salvaq; conscientiâ indifferenter distributa fuerint?

VIII. An medicamentum aliqvod binis & qvidem contrarijs titulis insigniri possit?

CA-

CAPUT PRIMUM

AN VOMITORIA IN FEBRIBUS MALIGNIS & PRÆPRIMIS PESTE PRÆSERVATIONIS GRATIA PRÆSCRIBENDA?

MAgnam differentiam inter Medicamenta præservativa & curativa esse, cuilibet notum; hæc enim ægrotis, illa verò sanis adhibentur. Consistunt in duobus: 1. Ut causæ illæ, qvæ pestem inducere valent, removeantur & vitentur. 2. Ut vis veneni infringatur, corporaq; ad id suscipiendum minus apta reddantur. Vel secundum methodum medendi duæ indicationes sese offerunt. Una præservativa, homines â pestis invasione custodiens, Altera curativa, hominem peste jam pollutum naturâ non repugnante sanans. Nos in præservatione, utpote plus momenti habente, cum melius fit in tempore occurrere, qvam conclamatis rebus vindicare, ipsam auspicabimur. Horum numerus apud nos penè innumerabilis fuit & ferè hominum in nostrâ civitate degentium multitudinem superasset. Ex horum numerô nobis solum cum vomitorijs & purgantibus hâc vice res est.

Vomitorium â vomendo Latinis dictum, Græcis ἐμετικὸν appellatur. Alijs purgans ἄνω. Estq; remedium ventriculnm, vicinasq; partes, per gulam & os evacuans, nonnihil etiam si sit fortius â remotioribus revellens Et non solum â morbis qvibusdam nos liberant, sed etiam ab ijsdem præservant. Propterea Ægyptij olim singulis mensibus unacum clysteribus vomitoria præservationis ergô exhibebant, diætæ errata, è quibus omnes ægritudines oriri existimabant, evitaturi. Non negandum,

raro corpora pura hisce temporibus ob errores qvotidiè contra diætæ regulas commissos inveniri, sed plerumq; licet externô cultu sana videantur, tamen humoribus pravis & cacochymicis repleta sunt. Hinc singulis etiam pestis temporibus præservationis gratia nonnunqvam talia, inter qvæ etiam sunt vomitoria adhiberi possunt, qvæ superfluam pravorum humorum saburram evacuant. Cum autem vomitoria sint lenia & benigna, mediocria, valida seu fortiora; Illa qvæ sub primâ classe continentur solummodò eligenda sunt, ne ventriculus debilitetur, & â nimiâ humorum agitatione alij morbi excitentur. Deinde considerandum atq; sciendum vomitoria etiam lenia non omnibus subjectis convenire. Obesis enim, ut & ijs, qvi pectus strictum, longum collum, & debilem ventriculum habent; Item qvi ægrè vomunt, ut & in infantiâ ac pueritiâ constitutis, maximè verò gravidis, præprimis ultimis gestationis mensibus, vomitus non imperandus. Juvencula qvædam primâ vice gravida etiam assumsit pulverem vomitivum tantis encomijs deprædicatum, sed paulò post filium mortuum enixa est. Mihi nota est familia qvædam, in qvâ omnes, paucis exceptis, talia vomitoria assumserant. Sed ventriculis inde debilitatis febres diurnæ ac rebelles seqvebantur. Nam omnis evacuatio, qvæ est superflua, Avicenna teste, secundum plurimum febres generat, idq; propter agitationem & motum humorum, inflammationemq; spirituum ut *Gabelchov. Cent. 1. Curat. Med. 57. p.* 60. innuit. Hinc magnâ circumspectione Vomitoria tractanda, & non indifferenter in vulgus distribuenda, qvod ex ignorantiâ, neglectis cautelis necessarijs, illa assumant, & locô sanitatis sibi exinde morbos nonnunqvam etiam mortem adsciscant. Qvia verò omnia vomitoria, præprimis

 con-

continuata tonum ventriculi lacesſunt, viresq; disſipant, infectionis tempore, niſi abundantia cacochymiæ adſit, coeteraq; reqviſita correſpondeant libentius præſervationis gratia lenem nonnunqvam ſudorem inſtitutum ſvaderem, qvi absq; virium jacturâ gliſcentem in corporibus malignitatem humorumq; pravitatem in ſangvine conſiſtentem, præprimis ſi peſtis â contagiô originem ducit, diſcutit expellitq;: Hocce remedij genus ſingulis ætatibus, complexionibusq; competit. Multi enim apud nos fuerunt, ter vel qvater in ſeptimanâ nonnunqvam etiam ſingulis matutinis ſudantes, illumq; ad duas uel tres horas, non ſine maximâ humorum commotione & membrorum lasſitudine continuantes. Nam omne nimium vertitur in vitium. Sufficit ſi in ſeptimanâ, vel ſpatiô qvatuordecim dierum qvoad præſervationem unâ vice per ſemi vel ad ſummum integram horam ſudor proliciatur. Conducit etiam melius, decubitus tempore ſudorifera ſi aſſumantur, qvam matutinis horis. Sic enim majori cum emolumentô medicamenta ſudorifera cum alimentis in masſam ſangvineam, præprimis ſi in formâ liqvidâ conſiſtant, circulantur, per poros cutis, evacuandos itâ diſponunt, ut manè, ſtragulis leviter coopertis blanda ſeqvetur ſudatio. Cumulus enim plumarum exortâ luce impoſitus ſudantibus anxietatem parit, nimiôq; calore ſangvinem inflammat. Reliqva ex neglectis diætæ regulis, nonnunqvam etiam innatâ ventriculi culpâ, vel aliorum accidentium cauſâ redundans in primis vijs cacochymia tempore peſtis abſtinentiâ qvaſi lentâ tabe conſumi poteſt. Otho Magnus Imperator cum Hungaris conflicturus jejunium in caſtris indixit, Deiq; auxilium invocavit. Vid. *Vitichind. lib.* 3. Qvi profectò tempore peſtis imitandus eſſet. Sobrij igitur eſtote,

& vi-

& vigilate, qvia adversarius vester Diabolus tanqvam leo rugiens circumit, qværens qvem devoret, cui resistite fortes in fide. 2. *Petr.* 2. Nam mater sanitatis est abstinentia, ægritudinis voluptas, secundum *Hier. in Epist.* & *Apollonius* secundum *Stobæum, sermon. de continentiâ* interrogatus, qvonam â cœteris hominibus differret? Respondit: *Alij quidem vivunt, ut edant; Ego edo, ut vivam.* Et sanè si ullô, certe infectionis tempore diæta in omnibus & per omnia exactè observanda, neqꝫ sangvis ad abigendum metum & ventriculum confortandum, spiritusqꝫ vitales recreandos nimiá vini ingurgitatione inflammandus, cujus abusum multi & multi cum propriô periculô experti sunt. Imprimis illi qvi ratione officij infectos visitarunt, Præstat, ut vinum illis destinatum in sanitatem eorum alij cum alijs deglùtiant. Hoc igitur caput cum *Virgiliô de Venere & vinô* concludam.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore
Unô namqꝫ modô, vina venusqꝫ nocent,
Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi
Et tentat gressus debilitatqꝫ pedes.

CAPUT SECUNDUM

AN VOMITORIA IN CURATIONE FEBRIUM MALIGNARUM & PRÆPRIMIS PESTIS INDICENTUR?

QUisquis condere medendi methodum ad ungvem parat, huic âprimis indicationibus est auspicandum, atqꝫ hinc ad eas, quæ deinceps sunt, transeundum, rursusqꝫ ab his ad proxima, inqvit *Galenus lib.* 2. *Meth. Medend, cap.* 7. Non enim

suf-

ſufficit inſtrumenta ad ſanitatis recuperationem & morbi depulſionem utilia noviſſe, ſed & opus eſt, perſpectum habere, qvomodo & qvâ ratione qvolibet utendum ſit, ſeu methodũ medendi, amiſſamq; ſanitatem inſtaurandi cognoſcere. Vid. *Daniel. Sennert. Inſt. Med. de Meth- Med. in gene- rep. m:* 1064. & apud eundem *p.* 1067. ſeqventia leguntur. *Indicatio propriè & in ſpecie ac quatenus ad methodum medendi pertinet, ſignificat oſtendionem auxiliorum. Indicentia enim indicata quaſi deferunt, & ad curationem utilia eſſe indicant, ac veluti digitò monſtrant; perinde ut olim ſtatuæ mercuriales, in biviis aut triviis poſitæ, monſtrabant viatori, cui via inſiſtendum eſſet.* Ex qvibus colligitur indicere, eſſe manifeſtare qvid conveniat, ut optimè loqvitur *Silb. Jacchæus inſt. Medic. L.* 5. *p.* 321. Qvi plura de methodo medendi deſiderat, adeat *Methodum Medendi Wallaianam à Friderico Hoffmanno illuſtratam*, & ex profeſſò hanc materiam tractantem. Præprimis verò indicantur vomitoria ijs in morbis, qvi â cacochymiâ, ubi humores vitioſi, bilioſi nimirum pituitoſi, melancholici, atrabilarij ſeroſi vel tartarei qvantitate in ſubjectis morboſis peccant, excitantur. Raro tamen pura datur cacochymia, mixta freqventior eſt. Hinc *Croto* autor eſt, vix fieri poſſe, ut peccante & redundante in vaſis horum uno reliqui non contaminentur, & laborent, ut rectè monet *Joh. Theod. Schenſc. de humoribus p.* 153. Verum non ſolummodo qvantitate, ſed & præprimis qvalitate & qvidem occultâ in febribus malignis & peſte prædicti humores ſubjectis nocent qvorum methodica curatio non in emeticorum, ſed potius in alexipharmacorum exhibitione propriè conſiſtit. Hinc *Georgius Wolffg. Wedelius Collega meus nullò non tempore honorandus in diſſertatione medica de vomitorÿs ritè adhibendis* expreſſe ſcribit: *Vomitoria non conveniunt in acutis, turbant enim magis humores, niſi conſentiant enormiter, & in cauſa*

ſit

sit ventriculus. Neq; enim licet universaliter concludere: ventriculus laborat, ergo vomitorium, est dandum; ergo ventriculus est subjectum primarium. Hinc in malignis, Peste petechialibus, propriè non conveniunt, in morbô autem Hungarico a victus errore multis collectis cruditatibus magis id licet, sed statim in principio. Et tamen semper intelligenda vomitoria mitiora & non ea, qvæ ex antimoniô & mercuriô constant Si Practicos de vomitorijs in peste consulemus, maxima illorum pars vomitoriorum ne qvidem mentionem facit, ne superflua & nociva tractare videatur Majora illa plane rejiciunt, & minima ea qvidem commendant, uti *Martinus Rulandus cap. 6. de lue venerea. Matthiol: lib. 5. Dioscor cap 59. Hartm. Prax. Chymiatr- Neand. in sua Tabacolog. Johann. Crato Cons. 275. Casp. Kegler. suo aur. vit. Sim. Pauli digress. de feb. malign. §. 76. Qvereet in alexic. lib. 2. cap. 7. Droetus in cons. pestil. Horstius, Crollius etc.* Sed cum granô salis hæc commendatio â præfatis autoribus facta, adhibitis multis distinctionib9 est accipienda. Qvi enim distingvit, benè docet, axioma philosophicum est. Hinc noster *Sennertus lib. 4. cap. 11. de curat. feb. pest. & malignor. in genere p. m.* 503. in principiô etiam eô collimare videtur, inqviens: *si materia ad superiora vergat, & nausea urgeat, materia per vomitum evacuanda.* Sed Paulo post. *Verum in genere hæc satis determinari neqveunt. Etenim febres tales pestilentes malignæ interdum per contagium propagantur, ubi tutissimum est, conceptum quocunq; modo inquinamentum per sudorifera & alexipharmaca è corpore expellere, & postea, si opus sit purgationem & venæsectionem instituere.* Rectè igitur ab experientia edoctus scripsit *Laurent. Giesl. de Peste Brunsvic. obs. 13. Cum enim initio nescias, quo vergat natura, aut ubi inprimis lateat recondita vis veneni ἀλόγιστος agis, cum excitas id, quod satius fuerit quiescere, nec in tuâ potestate est*

sistere, quod ad motum imprudenter excitasti. Et Paulo post: *Quartâ, imo dico ego, & primâ & secundâ alias*

Elleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentem videas, venienti occurrite morbo.

ab invasionis horâ sudorifera esse exhibenda, quando ergo vomitoria: Finiam hoc caput verbis, qvæ *Fridericus Hoffmannus in appendice de modò insultum apoplecticum curãdi lethifero ob salutem publicam ad incipientium Practicorum, & aliorum informationem, & ex ejusmodi curà majoris mali evitationem annotavit,* dicens: *Unde omnis Medicus, nisi Agyrtam aut alium velit agere Empyricum, eò semper in curationibus suis collimare debet, ut circumspectè corporis dispositionem, humorum qvalitatem, vergentiã & inclinationẽ, tempus & quantitatem. etc. observet, & examinet, antequã ad ejusmodi drostica descendat pharmaca. Quod si hac etiam interdum quid proficui præstiterint, id totum temerarium & per accidens fuit, quatenus scilicet ad stimulationem unius alterum pronum ac vicinum unà exturbatum fuit.*

CAPUT TERTIUM

AN PURGATIO AD PRÆCAVENDAS FEBRES MALIGNAS & PRÆCIPUE PESTEM ORDINANDA.

PUrgatio â purgandô, Græcis καθαρσις dicitùr, sæpius etiam reperitur τὸ φάρμακον, sed nimis generaliter sumitur vel generaliter pro qvâcunq; corporis depuratione, & excrementorum evacuatione, siue universali, sive particulari, nullâ habitâ ratione viæ. Vel specialiter prout purgationi per alvum & vomitum tribuitur: Specialissimè, ut soli purgationi per alvum competit, & purgans κάτω appellatur. Est autem purgatio humorum ca-

cacochymicorum in corpore existentium cathartici beneficiô per alvum facta evacuatio, ob morbum vel curandum vel præservandum instituta. Et sunt vel mitiora vel fortiora qvæ ab humoribus cacochymicis qvantitate vel qvalitatibus primis & secundis in corporibus humanis peccantibus indicantur. Cum autē infectionis tempore etiam dentur subjecta variis pravis humorib9 referta, nō inutile erit, nonnunqvam istos per medicamenta purgantia mitiora, non autem fortiora præservationis gratia è corpore eliminare, nō neglectis interim & consideratis ijs, qvæ purgantia admittunt vel prohibent, qvorū multa sunt, & cuilibet experto Medico cognita. Haud igitur purgantia indifferenter sunt disseminanda, ne ij, qvibus prædictæ cautelæ nō perspectæ sunt, loco auxilij, interitum sibi parent. Dixi superius nonnunqvam; qvô verbô abusum talium medicamentorum demonstrare volui. Non enim semper evàcuandum, alias natura debilitatur, & abit in consvetudinem, alijqꝫ morbi indè excitari solent. Id qvod multoties apud nos experientia confirmavit. Fortia autem nunqvam in usum trahenda, nisi qvis effatum Helmontij ab *OstWald. Grembs. l. 2. c. 1. nō. 36. p. 115. arboris integræ & ruinosæ hominis* seqvèntib. verbis descriptū comprobare velit: *Qvid Helmontius de solutivis purgantibus æstimat, paucis habe. Purgantia carnem, cruorem promiscuè liquant, resolvunt & putrefaciunt, excrementa non debellant, quia respectu nostri sunt venena, unde nos potius adoriuntur, quam excrementa, neqꝫ hæc illis parent, nam actio seu blas â spiritu impetum faciente, proficiscitur, quo orbantur excrementa; purgantia interim digestionem perturbant, cruorem in mesenteriô contaminant, ut plurimum effectum evanidum secum ferunt, per accidens aliquando visa sunt juvisse, cum natura sarcinam primô limine detentam unâ cum purgantibus decidere permiserit, id quod naturâ stante plerumqꝫ con-*

tigit, unde fit, ut medicantes in purgationibus tantò sibi confidant; Si vero purgantia crudelius se gerant, tum Medici incusant naturam nimis fluidam, nec non abundantiam humorum peccantium: purgatio itaq; dolosum depurationis cujusdam prætextum habet. Solent autem nimiæ purgationes hos effectus producere: purgatus nimium ex pharmacô, raucâ voce loqvitur, tremit manib9, vacillat genubus, oculis concavis, exhaustis spiritibus, deijcitur appetentia, & natura dubitat, an in antiqvum statum redire valeat? Purgantia nostris temporibus ex solò jalappæ pulvere cum cremore tartari, omissô scammoniô, conflata, in corporibus etiam robustis & purgationibus alias adsvetis, plus nimis evacuasse, non nunqvam etiam pessima symptomata excitasse, mihi compertum est. Descriptio qvarundam pilularum, Viennâ ad nos transmissa per totam civitatem circumferebatur, qvæ arcani loco habebatur, & tanqvam reliqviæ Sanctorum diligentissimè asservabatur & erat talis:

Rc. Aloes epatic. puriss: Unc. 1.
Croc.
Myrrh. aa. dr. j
Zedoar.
Gentian. aa scr. j
Rhabarb. elect. dr. ij.
Agaric. alb. dr. j.
Theriac. Andromach. nuc. jugl. qvant.

Species pulverisentur seorsim, dein misceantur in mortario. Ex massa fiunt pilulæ instar pisorum.

Sed extat hæc descriptio apud varios Autores, & præprimis *Johann Schröd. in suâ pharmac. medic. chymic lib. 2. c. 73 p. 257.* An verô recte alexipharm ca & adstringentia purgantibus medicamentis permisceantur, meum ob brevitatis studium non est determinare. Ego in casu necessitatis seqvens electuarium ordinavi:

Rc.

Rſ: Pulp. pasſular. Unc. iij
Pulv. rad. jalap. Unc. s.
Cryſtall. tart. albisſ. dr. iij.
C. ſ. q
Syr. roſar.
f. l. a.
Electuarium
D. in pyxide
S.

Electuarium leniter evacuans, cujus doſis in adultis Caſtaneæ magnitudo.

Verum qvanqvam hæc corpus ab omni impuritate liberare posſint, ijs tamen ſolis fidendum non eſt, ſed maxima ſalutis & ſecuritatis ſpes poſt Deum in alexipharmaca ponenda. Qvæ cum potius experientiâ longâ, qvam ratione ſint inventa, nemo ſalutem ſuam glorioſis nonnullorum promisſis commendat neq; novis medicamentis, niſi fidâ anteâ experientiâ comprobata ſint, facilè fidem adhibeat: Sed ijs, qvæ diu multorumq; votis reſponderunt, confidat. Et ſic etiam huic capiti cum *Sennertô* finem imponam, qvi *lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 425. de præſervatione peſtilentiæ ſeq. annotavit: Purgationem qvod attinet, purgatione, qvam alias ſana corpora, monente Hippocrate 2. *aphor.* 36. non ſine damno ferunt, præſertim per fortiorâ medicamenta temeré Corpus debilitandum non eſt. Si qvid tamen vitioſorum humorum in corpore fuerit, ne alexipharmacorum vis ab iis hebetetur, nec venenum peſtilens in corpore facilè radices agat, & poſtea corruptis humoribus gravius affligat lenioribus purgantibus ſenſim illud evacuandum eſt.

CAPUT QVARTUM.

AN PURGANTIA IN FEBRIBUS MALIGNIS & PESTE IN PRINCIPIO INDICENTUR?

DIversæ de febrium malignarum pestisq; natura, eandemq; causis ac differentijs cum illarum curatione apud Autores repèriuntur opiniones, qvas hôc locô omittemus, & saltem veram ac genuinam sententiam de purgantibus sine omni contraversiarum enumeratione & conciliatione in hôc capite proponemus. In præcedente dictum, purgantia lenia ratione præservationis in febribus malignis & peste qvidem nonnunqvam, ut corpus mundum, & ab omnibus excrementis liberum sit, occurrentibusq; injuriis & contagio resistere possit, adhibenda. Num dispiciendum, an etiam in ipsô febrium malignarum & pestis insultu curationis causa ægrotis propinanda? Purgantia non temerariæ fidei medicinam in ijs affectibus spondent, in qvibus indicentur & rectè administrentur, cæteroqvin idem, qvod gladius in manu furiosi aut ebrij. Et cum omnis curatio absolvitur secundum methodum receptam suis indicationibus & præprimis curatorijs, hic opus, hic labor erit, an etiam in curatione febrium malignarum & pestis purgantia indicentur? Humores autem cacochymici qvantitate & qvalitatibus primis secundisq; peccantes sui ablutionem per purgantia qvidem indicant, verum non ij, qvi simul malignitate & venenositate præditi sunt; alexipharmaca enim non autem purgantia loco auxilij morbi ab his excitati expectant. Hinc rectè non innuit *Fried. Hoffm. Method. medend. p.* 51. Eadem ratione cum & febrium malignarum causa proxima non sit, nuda aliqva intemperies calida, sed ebullitio sangvinis. qvæ provenit ab inqvinamento fermentali febrili, & venenatô hoc au-

autē ſæpè adeò ſit exiguum, ut inviſibiliter odoretenus, vel auræ inſtar, ne grani pondere ut loqvitur Knöpfel. in tract. de method. medend. febrium malignarū, contra Auguſtinum Corrade, ſed exceptum omni lege & dimenſione Mathematicâ nos ingrediatur, ut totam ſpirituum & liqvorum vitaliū ſubſtantiā ſibi asſimilando penetret illud certè nontā ſtercoream, qvam fermenti illius febrilis & venenati in herbâ poteſtivam elibrationem & eventilationem Spiritus vitalis ſeu Archei ſub ipſius tyrannide gementis, & ſic anxij omnes functiones interturbantis indicat. Qvô in caſu alias etiam cum pulſus ſoleat eſſe nimis citatus & vehemens interdum humilis & depresſus, urina itidem cruda, purgatio prohibetur ſed in ſpecificis antifebrilibus, alexipharmicis eſt ſalus & vita ægrorum Si igitur morbi maligni & febres petechiales nullam indicent purgationem qvomodo methodicè in ipſâ peſte, qvam cum alijs ſymptomatibus pesſimis petechiæ utplurimum ſeqvuntur, ægrotis adhiberi posſunt. Si verò metuendum esſet, alexipharmacorum vim ab humoribus infringi poſſe, tunc lenientia in initiô, ubi opus eſt, nec aliud qvid obſtat, concedenda qvidem, aſt fortiora, ut ſcamoneata, mercurialia & Antimonialia admittēda eſſe, nō cenſemus. Si verô â contagiô acqviſita ſit, vel aliâs gravi de cauſâ nullas det inducias, ſtatim alexipharmacis oppugnanda malignæ iſti qvalitati non tantum virtute ſpecificâ contrari antibus, ſed etiam eandem, in qvacunq; corporis parte latitat, ut & omne μίασμα ſudore concitatô ex pellentibus, adhibitis præſertim ijs, qvæ ſimul calorem febrilem refringunt, & â qvibus putredo nullum capit augmentum. Infractâ jam veneni violentia, & malignitate devictâ inſtitui poteſt purgatio, eò qvod humores in corpore humanô procul dubiô vitium contraxerint,

&

clyster adhiberi poteſt, ante unam horam, donec tandem ſecundo iterum deſudet. Purgationem verô hic nec natura morbi, nec ars ſvadent. Qvidqvid etiam alij Medici expertiſſimi ſcribant, illud eventus docebit qvod ſcilicet alexipharmaca nimis ſerò exhibeantvr, ſi â purgantibus auſpicari velimus. Vid. *Balthaſ. Brunner. Conſil. prophilac tempore peſtis á Lauren. Hoffmann. collectum & reviſum pag.* 410. Finiam itaq; hoc caput cum *Jouberto de peſte* cap. 17. inqviente: *Peſte imminente ſolent humores præcipites in ventrem decumbere, undè metuendus maximè alvi fluxus, vires dejiciens, quem multò promptius excitarent purgantia.*

CAPUT QVINTUM

AN MEDICAMENTA ἄνω καὶ κάτω EVACUANTIA FEBRES MALIGNAS & PESTEM PRÆCAVERE POSSINT?

REperiri medicamenta humores per ſuperiora & inferiora ſive per os & alvum ſimul è corpore expellentia, qvotidiana teſtatur experientia. Omne autem medicamentum purgans præprimis ex fortioribus conflatum, ſi ſubjectum & humorum inclinatio reſpondeant, etiam per vomitum, omneq; vomitorium, maximè ſi ex antimoniatis & mercurialibus conſtet, per alvum operari poteſt. Hinc non totô genere & realiter differunt inter ſe purgantia & vomitoria. Unde *Georg.* Wolffg. Wedelius *in ſuâ diſputatione de vomitorijs ritè adhibendis* ſeqventia habet annotata: *Vomitoria ſunt ἄνω purgantia, uti purgantia propriè dicta κάτω operantur, ex quo patet, non differre purgantia & vomitoria vi agendi & fine generali, utraq; enim irritant, utraq; evacuant, nec fine eq; ſpeciali, niſi â poſteriori,*

 nullum

nullum enim est vomitorium, quod non etiam κάτω agere possit, nec purgans, quod non etiam per superiora evacuare. De quo videatur imprimis Walaus M. M. p. 21. 22. sed differunt gradu & diversitate acrimoniæ salino sulphureæ irritantis volatilioris & fixioris, uti alibi id disquiremus latius. Quo enim majorem agendi energiam medicamentum aliquod possidet, eò etiam citius eandem exsequitur. Hinc patet, purgantibus fortiora esse emetica & citius operari; pro ventriculi enim & humorum dispositione diversum sortiuntur effectum. Unde observamus maximè etiam materiæ sequacitatem esse attendendam. sæpè enim datum antimoniatum vomitorium, solum κάτω operatum fuit, & sæpè purgans ἄνω, non per inferiora. Sic in hydropicis rarò vomitoria ἄνω operantur frequentius per τὰ κάτω, quia humores acres, salini, acidi quibus abundant & figunt ipsorum vim ex parte minus versus superiora inclinant. Cum igitur capite primô satis monstratum sit, vomitoria præservatoriè infectionis temporibus magnâ cum circumspectione esse adhibenda; & capite tertiô blandè evacuantia solum admissa sint, non video, ex qvo fundamentô ἄνω καὶ κάτω purgantia prædictis temporibus methodicè & cum fructu adhiberi possint. Ob eorum enim vehementiam, humores nimis fermentantur, atq; commoventur, vires dissipant, & ventriculus valde debilis redditur, ejusq; tonum laxatur. Et si mitiora & securiora nobis præstô sint, cur famam & vitam qvæ pari passu ambulant fortioribus illis simul in periculum conjicere volumus. Hinc etiam hoc caput cum *Celso* absolvam *qui præter celeritatem in curationibus etiam securitatem efflagitat.*

CAPUT SEXTUM.

AN MEDICAMENTA PER SUPERIORA & INFERIORA OPERANTIA IN FEBRIBUS MALIGNIS & PESTE METHODICE PER INDICATIONES IN PRINCIPIô ADHIBEANTUR?

Neq;

NEq; vomitoria neq; purgantia in febribus malignis & peste curatoriè in principiô indicari, capite secundô & qvartô satis explicavimus. In declinatione tamen prædictorum morborum ad præcavendam recidivam, si ægrotorum vires id permittant, leniter purgantia tutò & cum utilitate assumi possunt & debent. Insuper præfatis in capitibus, experientiâ, rationibus, autoritatibusq; demonstratum fuit, nullum vomitorium, nullumq; purgans in febribus malignis & peste, nisi ex Annonæ caritate, obsidionibus etc. & per conseqvens internâ humorum corruptione exorta sint, nec tamen semper tutò sed omnibus circumstantijs benè prius pensiculatis curatoriè convenire, qvia in morbis malignis & pestilentibus propriè neutiqvam indicari cathartica, id est δραστικὰ vehementerq; purgantia ac vomitoria medicamenta, cum hic non de cacochymiâ, sed malignitate dispiciendum sit; multò minus igitur vehementiora illa ἄνω καὶ κάτω expellentia: Hinc etiam hoc caput verbis *Matth. Unzer. de lue pestiferâ p.* 220. Obsignabo: Minimè igitur hic fides adhibenda rudibus Empyricis, qvi nitrum Antimonij vel Mercurium uitæ, aut præcipitatum, in principiô pestis devoratum, venenatos & corruptos humores mirabili proprietate supernè & infernè expellere, non minus stolidè qvam improbè nugantur. Et qvamvis constet horum & similium mineralium usum tum in plurimorum morborum aliorum, tum in pestis qvoq; curatione qvandoq; non insalubrem expertum fuisse, ut testantur *Matthiol. comm. ad cap.* 59. *lib.* 5. *Dioscor.* Crollius in Basil. chym. Qvercetan. in Alex. lib. 2. cap. 7. Julius Alexand. in Epist. ad Gesner. Anton. Snieberger. Casp. Kegler in regim: pestilent. Henric. Ranzovius de sanitate tuendâ, Petrus Droettus de peste cap. 1. Jacobus Pelleta

rius in lib. de peste, Antonius Mizaldus in Cent. memor. & alij. Tamen hoc qvoq; affirmare non dubitamus, eorundem imprimis verò antimonij præposterâ & intempestivâ exhibitione ab imperitis Paracelsistis facta, qvam plurimos hâc lue infectatos, in extremum vitæ periculum conjectos, sceleratissimeq; necatos esse, qvemadmodum hanc sententiam nostram qvoq; egregiè confirmant *Palrius* locô citatô: Incredibile dictu, qvam multi stibiô perierunt in peste Lugdunensi &c. & *Augen.* lib. 3. *de peste*, *Cornelius Gemma Bernhard. Cronenbergius* Qvæ qvidem in eum finem hîc â nobis dicuntur, non ut antimonialium, Mercurialium, aliorumq; mineralium remediorum, præsertim artificiosè legitimèq; concinnatorum, præstantiæ ac nobilitati, aliqvid detractum aut derogatum velimus, cum ipsorum in averruncandis sæpe qvantumvis contumacissimorum, longèq; inveteratorum morborum radicibus, stupendæ vires nobis non sunt incognitæ, nosq; divinâ benignitate, illorum miraculosos qvos in deploratissimorum aliqvot affectuum extirpatione edidere effectus, non semel & observaverimus & admirati simus. Sed ut tantum qvorundam medicastrorum apiricorum, effrenem nimis audaciam, licentiosamq; hic petulantiam coerceamus ac reprimamus, ac qvod hactenus factitarunt, tam liberè ac impunè de coriô humanô ludant, at imposterum absq; omni ratione & judiciô in pestilentium morborum, utpote ipsis non magis notorum qvam cæcis sunt colores, medicationem importunè ac illotis qvasi manibus proruant, medicamentisq; suis venenatis ac lethiferis rudissimè paratis, ægrotisq; porrectis, carnificinam potius, qvam medicinam exerceant, sed potius alexiteriorum selectissimorum longôq; usu probatissimorum præsidio, huic venenatissimo lui obviam

am ire, eàmq; profligare discant, itâ enim & propriæ suæ famæ ac conscientiæ nec non saluti qvoq; proximi optime consultum ibunt, laudem tandem, non vituperium inde reportaturi.

CAPUT SEPTIMUM.

AN PRÆDICTA IN NOSTRâ PESTE MAGDEBURGICâ INDICATA TUTò SALVâq; CONSCIENTIâ DISTRIBUTA FUERINT?

PEstis suas habet differentias, qvæ innotescunt vel â causis, vel ab accidentibus, causam vel ipsam pestem conseqventibus. Ratione causarum pestis alia ab aere, alia â pravô victu, alia â contagiô, teste *Galeno* 1. *de differ. feb. cap.* 2. *&* 4. alia ab alijs causis initium sumit. Ratione accidentium pestis alia gravis & intensa est, qvæ multos invadit, eosq; pene omnes, paucissimis exceptis, perdit, qvalem illam fuisse historiæ referunt, qvæ annô Christi 1374. per universam Germaniam atq; Galliam grassans fermê tertiam hominum partem ê mediô ibi sustulit. Alia levis est, qvæ nec ità multos invadit, nec etiam qvos invasit, ferè perdit. Sic alia pestis sine febre est: alia febrem habet adjunctam &c. Pestem autem nostram Magdeburgicam non ex infectione aeris, neq; ex Annonæ caritate multó minus ex internâ humorum pravorum corruptione sed solô contagiô ortam deq; aliô in alium propagatam fuisse, res vulgatissima est. Nam non semper in eô locô, ubi grassatur, ex aere vel victus pravâ ratione incepit; sed ex alijs locis non raro transfertur, qvæ primum paucis communicatur, deinde late sediffundens non raro totas civitates & pagos incolis suis orbos facit, ut loqvitur *Nicephorus lib.* 17. *Hist. ecclesiast. cap.* 17. Contagium

 â moder-

â modernis definitur, qvod sit communicatio μιάσματος seu seminis similis morbi, facta â corpore ægrô in corpus simile, aut immediatè, aut mediante aliqvò. Tria igitur videmus ad contagij naturam necessariô reqviri. 1. Corpus contagiosum, qvod alteri communicat. 2. Qvod communicatur, ipsum μίασμα 3. Aliud corpus dispositum qvod contagiô & aliô morbô affici potest.

1. Corpus contagiosum qvod attinet illud dicitur ægrum & morbosum tale, quod affectu aliqvô p. n. laborat, ipsumq; alteri communicat:

2. Qvod communicatur non est ipse morbus, qvô prior infectus fuit, accidens enim de subjectô in subjectũ non transit, sed corpusculum aliqvod, è corpore contagiosô effluens, facile penetrans, aliudq; corpus dispositum inficiens. Græci ἀποῤῥοίας ἀποκρίσεως, ἀποῤῥοίας, σπέρματα Latini inqvinamentum, semina, seminaria nominant. Σπέρμα non absq; ratione nominatur sicuti enim σπέρμα seu semen è corpore vivente decisum, animatum specie simile illi, â qvô decisum producere potest. Itâ istis morbis, qvi ex venenô & contagiô oriuntur, qvasi vita qvædam inest, qvod *Hippocrates* forsan per τὸ θεῖον intellexit, principiumq; divinum, qvô se adaugent, aliosq; sibi similes morbos generant in alienô corpore Illustris *Harveus de generat. animal. Exercit. 27. pag. 113. Sennert. de febrib. lib. 4. cap. 3. Melchior Sebiz. dissert. περὶ θείου.*

3. Reqviritur etiam corpus aliud dispositum, qvod contagiô affici possit: nam non omne corpus aptum est ad recipiendum contagium: ut enim nulla causarum sine patientis aptitudine agit, nec qvocunq; tempore, aut etiam sub qvacunq; magnitudine, ita etiam res se habet cum contagiô. Sub corpore autem dispositô comprehendimus non solum corporum & humorum pravam dispositio-

tio.

tionem, sive morbosum apparatum, sed etiam occultam naturæ proprietatem. Corpora enim sicca, compacta benè constituta, & qvæ superfluitatibus carent, minus apta sunt: contra aptissima sunt corpora calida & humida laxa, qvalia sunt: puerorum, virginum, gravidarum; Item corpora referta vitiosis humoribus. Præterea qvæ perturbationibus agitantur, & Veneri nimis operam dederunt. *Duncan. Liddel. lib.* 3. *De febrib. cap.* 2. Contagium etiam occultâ proprietate agit. Uni individuo magis qvam alteri contagium adversum est. Unde accidit, ut consangvinei facilius qvam alij inficiantur, & sæpè integræ familiæ peste deleantur. Sæpius etiam observatum est multos impunè cum infectis, qvibus sangvinis cognatione non devincti erant, conversatos, posteà â consangvineô aliqvô infectô, levi occasione etiam infectos fuisse. Tantæ virtutis & potentiæ est contagium, præsertim in ijs corporibus inter qvæ est qvædam naturæ proprietas & similitudo; qvalia sunt consangvineorum, parentum liberorum, sororum & fratrum. Et qvò qvis sangvine conjunctior & magis propinqvus, eò celerius malum ab alterô concipit propter sympathiam, hoc est propter naturæ cognationem atq; spirituum & humorum consensum. Pluribus hâc de re disserit *Levinus Lemnius de occult. natur. miracul lib.* 4. *cap.* 25. Citius etiam contagiô corripiuntur & succunbunt, tenerioris qvi sunt ætatis atq; invalidæ, humidôq; corporis habitu existunt. Cujus generis sunt impuberes ac sexus muliebris, tum qvi otiô somnôq; excrementorum copiam coacervarunt.

Contagium est duplex, mediatum & immediatum. Mediatum est, qvando morbi Epidemici seminaria sua eminus per aerem, aut fomitem aliqvem spargunt & pro pagant; morbosq; sui similes in alienis corporibus producunt,

ducunt, atq; abſcondito modò per generationem qvandam ſe facile multiplicant, adeoq; interdum ingraveſcunt ut Dei permiſſu latè ſtragem edant, contagiumq; illud ad modum tenue ac ſubtile eſt, ut facile penetrare qveat, *Harveus de gener. anim. Exercit.* 41. *pag.* 149. *& Exercit.* 50. *pag.* 184.

Contagium immediatum eſt, qvando duo corpora ita ſe tangunt, ut nullum aliud inter ea ſit interpoſitum, ſed alterum ἀμέσως alterum contingat; ſic ut alterum affectum ſuum per μίασμα tribuat, alterum verò illud excipiat. *Sebizius diſſert. de cont. & morb. contagioſ. theſ.* 43. Hujus contagij ſeminaria in craſſiore materiâ reſident, & ſolum per ſudores & ſordes, corpori adhærentes, alteri corpori communicantur; Contagium tum mediatum tum immediatum in peſte locum habet: ità etiam ſtatuit *Sebiz. diſſert. de contag. & morb. contagio. theſ.* 122. *Febris maligna, inquiens, quæ petechialis, pulicaris & maculata appellatur, ſimiliter & per contactum immediatum & per fomitem & ad diſtans alios contaminare ſolet; eôdem plane modô, quo peſtis: niſi quod per ichores & pus, virus in ſanos non ejaculetur, cum bubonibus & carbunculis careat.*

Viæ per qvas atomi contagioſæ in corpus noſtrum penetrant & adiguntur, ſunt variæ 1. ſeminium malignum per aerem diſperſum, per os, nares, poros cutis univerſi corporis inſpiratur i totum enim corpus ſecundum *Coum* eſt perſpirabile. 2. Per vaſa venoſa & arterioſa, per eorum orificia hiantia, ut & per vaſa aqvoſa, lymphatica dicta, in qvæ contagium impreſſum una cum revertente ſangvine & latice, ad Cor fertur & totum corpus, niſi impediatur, poſtea inqvinat. Vid *diſſertat. inaugur. Jerem. Rhetij de Feb. petechial. Cap. X.*

Cum igitur ſatis luculenter explicatum fuerit, qvid ſit

ſit contagium, & qvod peſtis per mediatum & immediatum contagium contaminare ſoleat, noſtraq; etiam peſtis per mediatum & immediatum contagioſum inqvinamentum, ut omnibus notum, neq; ulteriori probatione indiget communicata fuerit. Hinc porrò diſpiciendum, an in noſtrâ peſte prædicta medicamenta debitô modô, & methodicè adhibita, diſtributaq; fuerint? Affirmativam qvaſi nullam invenio; Negativam probo, ſeqventibus fundamentis fultus: Qvorum primum eſt mediatum & immediatum peſtis contagium. Viæ enim infectionis noſtræ ordinariæ non ſemper fuerunt os ſuperius vel inferius; per alia etiam loca, ut ſuperius demonſtratum, poros nimirum cutis &c. miaſma contagioſum communicari potuit, neq; etiam ut antea dictum pravorum humorum in ventriculô reliqvisq; corporis partibus accumulatio peſtis noſtræ cauſa fuit, hinc etiam nulla eorum evacuntio, ac præprimis tam vehemens erat neceſſaria. Secundum ipſorum ſymptomatum in multis ſubjectis peſte laborantibus ſupervenientium prohibitio. ut ſomnolentia, petechiarum, bubonum & carbunculorum ſubitanea eruptio, alvus fluida &c. Nam paucos novi, ut ex Obſervationibus meis peſtilentialibus, quæ brevi ſecuturæ erunt, videre licebit, qvi, ſuperveniente diarrhæâ, evaſerunt. Multò minus igitur illa medicamentis vehementiſſimis procuranda erat. Et licet multi invaſionis tempore creberrimis moleſtarentur vomitionibus, tamen varias ob rationes illæ poti9 reprimendæ, qvam ſollicitandæ erant. Tertium ipſius medicamenti vel pulveris examinatio.

Color ejus ut plurimum gilvus, non nunqvam intenſior, nonnunqvam remisſior erat, pro variâ illius præparatione, Sapor qvaſi inſipidus, im fine tamen nonnihil

 ni-

nitrositatis in lingvâ relinqvens. Dosis â sex ad octo grana ad summum. Operandi modus varius fuit ratione subjecti & humorum. In unô enim nihil præter anxietates insignes faciebat; in alterò vomitum excitabat, in aliô per secessum purgabat, in qvamplurimis verò cum remanente insigni lassitudine ἄνω καὶ κάτω vehementer operationes suas instituebat. Hinc non immeritô suspicatus sum, illum medicamentum ex antimoniô vel mercuriô præparatum esse. Bezoarticum minerale verum non est, qvia id lege artis confectum solummodò per sudorem materiam peccantem discutit, hic verò pulvis ab operandi modô â vulgô das Brechpulver appellatur. Antimoniata verò & Mercurialia nunqvam tutò in peste adhibentur, præprimis illa, qvæ non ex humoribus corruptis alijsq; causis internis, sed potius externis, & per contagium communicatis originem traxit. Qvartum Pulveris istius inconsiderata distri butio. Nemo enim qvi pecuniam afferebat, inanis redibat; an verò semper cum necessarijs cautelis, qvæ in hujus medicamenti exhibitione reqviruntur, venditus fuerit, meum jam non est judicare, qvia proprijs auribus non percepi, multò minus in chartâ scriptâ legi. Nam ille petentibus raró ab inventore ipsô sed alijs & nonnunqvam fœminis per longum funẽ ductoriũ in parvò ex canistro altò porigebatur. Hoc autem certè scio, illos in copiâ nonnullis, qvibus cum Medicinâ nunqvam res fuit, traditos fuisse, ut alijs si â peste corriperentur, statim adhiberent, an verò semper methodicè & consideratis considerandis id factitarint? qvilibet, qvi sanæ mentis compos est, judicare potest. Qvomodo enim ij, qvi ne Medicinâ hospites sunt, talia

ritè

ritè porrigere potuerint, cum nonnunqvam experientissimis Medicis hoc difficilimum videatur. Et monet *Sennertus de febribus pag.* 468, in Theriacæ & medicamentorum calidorum exhibitione tempore pestis cautelas qvasdam observandas esse, ne temerè sine ullô morbi, naturæ ætatis, sexus anni temporis, aliarumqꝫ circumstantiarum respéctu usurpentur. Qvanto magis hoc considerandum in applicatione medicamentorum cum maximò periculò conjunctorum. Vera igitur pestis nostræ curandæ curatio per alexipharmaca & sudocifera fuit, qvibus etiam primas tribuisse videtur *Celsus*, cum plus valeat facultas venefica ad indicandum, qvam cruditas ad prohibendum. Natura enim in hisce morbis studet omnicօnatu materiam venanatam ab inferioribus ad exteriora propellere, ideò utile est, naturæ motum talibus præsidiis juvare. Ncn enim vomitoria & purgantia, multi minus ἄνω καὶ κάτω expellentia huic morbo directè repugnant. Sed siqvid faciunt ad salutem, per accidens, & qvatenus conjunctis affectibus occurrunt. id faciunt, idcircò in principiò statim de alexipharmaco-sudoriferis, modo calidis, modo frigidis, utplurimum verò procujuslibet constitutionis ratione cogitandum. Notatu igitur dignissima & qvidem verba *Matth. Tillingij* de feb. petechial. pag. 257. expressa in hoc capite colophonis locò subjungam: *Ergone hi oleum, quod ajunt camino addent, & quod tam promptè sistere nequeunt, periculosum alvi profluvium, ventriculiqꝫ & totius dejectionem, temerè concitabunt? Ergone methodo curandi prorsus inversâ ac deleteriâ utentur? In morbis enim pestilentibus & malignis proceditur cum expulsivis & bezoarticis, â centrô ad superficiem moventibus: hic verò à superficie ad centrum*

 trum

trum viâ oppidò contraria ducitur. Accedit δραστικὰ ista & violenta medicamenta ob excessus tragicos jampridem infamiâ laborare, ut nec in morbis communibus adhiberi tuto possint, ut maximè præsente materiâ maligna ac venenata omnia conturbent, violentoq; modô atq; impetu, noxios tantum humores non exturbent, sed aliquando etiam sangvinem fundant, visceraq; interna corrumpant ac labefactent. Esto autem rusticanum vel fossorem unum atq; alterum aliquando in tali vomitivô periculum evasisse, rejectisq; noxijs commodius se habuisse. Certe dicimus nos, ab uno exemplo standum est minimè cum plurima in contrarium super adduci queant. Et si maximè hic vel ille (quod difficile est) evadere sustineat, nihilominus tam æger quam Medicus ingenti sese exponit periculo ac sollicitudini, cui redimendæ aliquis non modicam pecuniæ quantitatem insumeret. Quodsi insuper (id quod experientiæ adversatur) centum fortè violentam id genus evacuationem ferrent, unicus verò ab inde periret, per fidem! talis medicina, potius carnificina, in Republicâ bene constituta tolerari haud debebit. Non paucos cognoscere atq; audire hactenus licuit, qui, ubi vehementibus id genus emeticis usi, ac servati fuissent per totã vitã impetuosã medendi rationẽ istã adio habuerũt, ut etiam certa viscerũ & totius jactura affecti fuerint. Medicus itaq; temere ac tyrannice agens, conscientiam vulneret oportet, tum infamiam temeritatis mercedem, reportet, necesse est. Quod si vero id ipsum maxime artis esset, simul semelq; in morbis, maxime malignis omnia ἄνω καὶ κάτω exterminare, ac purgando evacuare velle, certe vel prudens & circumspectus medicus æq; facile nec majori cum industria atq; moderatione potionem, sive stibiatam, sive mercurialem propinare uit, concesset, atq; is infusionẽ e foliis senæ, sive potiunculam è cremore tartari, atq; id genus laxantia minoribus præscribit. Barbari est, non Christiani hominis, medica-

dicamenta per mortes, ut ait Plinius, velle experiri, atq; de corio humano ludere. Eant nunc igitur, quicunq; isti sunt, jactentq; vomitoria sua vehementissima, ex antimonio & mercurio singulari artificio præparata. Certe tyrannicum istum & temerarium in febribus malignis potechialibus & pestilentialibus medendi modum probare minime sustinemus, cum imprimis multis nominibus suspectus iste mercurius sit, etiam quoviscunq; modo atq; artificio præpaarratus, non in his tantum, sed in vulgus aribus etiam ac longe inferioribus alijs ÿsq; tum continuis quam intermittentibus febribus' ut etiam cacochymia, chlorosi &c. sæpius etiam nondum usan infeste ægrotantes in enormes vomitus & singultus, dysenterias, epilepsias, convulsiones, ipsamq; subitam atq; evidentē mortis necessitatem, ut exemola proh dolor! testantur, adigat, ipsoq; facto præcipitet.

CAPUT OCTAVUM

AN MEDICAMENTUM ALIQVOD BINIS & QVIDEM CONTRARIJS TITULIS INSIGNIRI POSSIT?

QVamplurima medicamenta duobus, tribus, qvatuor & pluribus insigniuntur & insigniri possunt titulis & inscriptionibus], modô illæ ità constitutæ sint, ut sibi invicem non contrarientur. Sic erg. Titulus esse potest Potio stomachica & confortans; Pulvis stomachico-Epaticus & aperiens; Electuarium pulmoniacum, serosam scorbuti materiam incrassans, tussim sedans viresq; conservans &c. An verô medicamentum aliqvod contrariis titulis, qvemadmodum prædicti pulveres, qvando in copia desiderabantur, in dorsô circumvolutæ char-

tæ pulveres sudorifico-vomitorij nuncu pabantur, superbire possit, adhuc sub judice lis est: *Crato* qvidem *Cons.* 275. flores antimonij albos vituperare non vult, qvia evacuent simul, sudoremq; moveant. Verum cum sudoribus, qvi tali modô excitantur, nulla mihi, neq; credibilis res est. Hinc illi, â qvibus talia præscribuntur â *Mindererô pag.* 326. *bubulcorum ingenia* vocantur, *annotante Christoph. Helvigiô in suô consilo medico de peste pag.* 167. Talia enim medicamenta ossunta unà cum homoribus iterum rejiciuntur, qvod plerumq; semi & ad summum unâ post exhibitum horâ fieri solet, atq; ità vires suas contrarias in universum corpus per circulationem sangvinis ad ciendum simul sudorem distribuere neqveant, nam sublatô medicamentô, tollitur ejusdem effectus. Et qvomodo medicamentum aliqvod ἄνω καὶ κάτω evacuans bonum atq; laudabilem sudorem conciliare potens sit, non video. Sunt enim motus naturæ contrarij, & qvi, unicà vice vel simul instituti, vires, ad qvas tamen semper & præprimis in peste respiciendum valdè prostenunt atq; dissipant. Si enim talis motus cortrarij â naturâ malignitate humorum stimulatâ, & jam jam victâ instituantur, qvid aliund, qvam ægroti interitum indicant. Non negare volo neq; possum medicamenta prædicta in illorum operatione sudorem maximè in facie ad vim naturæ illatam protrudere, sed est sudor frigidus & præ ancietate egressus, qvi potius culpandus, qvam laudandus & ita ultimum hoc caput per DEI gratiam ad finem perductum paucissimis hisce ad B. L. occludam: Fœcunda hæc & ampla, maximè tamen necessaria. Et de curijs hominum ludens materia â me qvam levissimè, tamen

sin-

ſincerè & pro tenuitate ingenij atq; temporis pertractata eſt. Plurima qvidem addi potuisſent, ſed ea varias ob rationes adhuc reſervanda ſunt. Ubi erratum fuit, veniam petimus, & doceri cupimus. Nam ex aliorum calamitatibus dolor Medicis proprius conciliatur.

Interim O Clementisſime DEUS, Tua eſt gratia, qvod in hoc procelloſo mundi impuri pelago non ſimus ſubmerſi, neq; ab hoc gravisſimo affectu, qvi nulli crudelitatis diritate, ſævitiæ immanitate, periculi atrocitate, ac malignitatis pernicitate cedit, qvoq; nullus inter omnes, qvi generi humano inſidiatur, formidoloſior, conſumti, ſed firmo pede niſi, proximo ſalutaribus conſilijs adſtiterimus, para. labores ſuſtinere majores.

SOLI DEO GLORIA.



â modernis definitur, qvod sit communicatio μιάσματος seu seminis similis morbi, facta â corpore ægrô in corpus simile, aut immediatè, aut mediante aliqvò. Tria igitur videmus ad contagij naturam necessariô reqviri. 1. Corpus contagiosum, qvod alteri communicat. 2. Qvod communicatur, ipsum μίασμα 3. Aliud corpus dispositum qvod contagiô & aliô morbô affici potest.

1. Corpus contagiosum qvod attinet illud dicitur ægrum & morbosum tale, quod affectu aliqvô p. n. laborat, ipsumqꝫ alteri communicat:

2. Qvod communicatur non est ipse morbus, qvô prior infectus fuit, accidens enim de subjectô in subjectũ non transit, sed corpusculum aliqvod, è corpore contagiosô effluens, facile penetrans, aliudqꝫ corpus dispositum inficiens. Græci ἀπόῤῥοιας ἀποκρίσεος, ἀπόῤῥοιας, σπέρματα Latini inqvinamentum, semina, seminaria nominant. Σπέρμα non absqꝫ ratione nominatur sicuti enim σπέρμα seu semen è corpore vivente decisum, animatum specie simile illi, â qvô decisum producere potest. Itâ istis morbis, qvi ex venenô & contagiô oriuntur, qvasi vita qvædam inest, qvod *Hippocrates* forsan per τὸ θεῖον intellexit, principiumqꝫ divinum, qvô se adaugent, aliosqꝫ sibi similes morbos generant in alienô corpore Illustris *Harveus de generat. animal. Exercit. 27. pag. 113. Sennert. de febrib. lib. 4. cap. 3. Melchior Sebiz. dissert. περὶ θείου.*

3. Reqviritur etiam corpus aliud dispositum, qvod contagiô affici possit: nam non omne corpus aptum est ad recipiendum contagium: ut enim nulla causarum sine patientis aptitudine agit, nec qvocunqꝫ tempore, aut etiam sub qvacunqꝫ magnitudine, ita etiam res se habet cum contagiô. Sub corpore autem dispositô comprehendimus non solum corporum & humorum pravam disposi-

tio-

tionem, sive morbosum apparatum, sed etiam occultam naturæ proprietatem. Corpora enim sicca, compacta benè constituta, & qvæ superfluitatibus carent, minus apta sunt: contra aptissima sunt corpora calida & humida laxa, qvalia sunt: puerorum, virginum, gravidarum; Item corpora referta vitiosis humoribus. Præterea qvæ perturbationibus agitantur, & Veneri nimis operam dederunt. *Duncan. Liddel. lib. 3. De febrib. cap.* 2. Contagium etiam occultâ proprietate agit. Uni individuo magis qvam alteri contagium adversum est. Unde accidit, ut consangvinei facilius qvam alij inficiantur, & sæpè integræ familiæ peste deleantur. Sæpius etiam observatum est multos impunè cum infectis, qvibus sangvinis cognatione non devincti erant, conversatos, postea â consangvineô aliqvô infectô, levi occasione etiam infectos fuisse. Tantæ virtutis & potentiæ est contagium, præsertim in ijs corporibus inter qvæ est qvædam naturæ proprietas & similitudo; qvalia sunt consangvineorum, parentum liberorum, sororum & fratrum. Et qvò qvis sangvine conjunctior & magis propinqvus, eò celerius malum ab alterô concipit propter sympathiam, hoc est propter naturæ cognationem atq; spirituum & humorum consensum. Pluribus hâc de re disserit *Levinus Lemnius de occult. natur. miracul. lib. 4. cap.* 25. Citius etiam contagiô corripiuntur & succumbunt, tenerioris qvi sunt ætatis atq; invalidæ, humidôq; corporis habitu existunt. Cujus generis sunt impuberes ac sexus muliebris, tum qvi otiô somnôq; excrementorum copiam coacervarunt.

Contagium est duplex, mediatum & immediatum. Mediatum est, qvando morbi Epidemici seminaria sua eminus per aerem, aut fomitem aliqvem spargunt & propagant; morbosq; sui similes in alienis corporibus producunt,

ducunt, atq; abſconditô modò per generationem qvandam ſe facile multiplicant, adeoq; interdum ingraveſcunt ut Dei permisſu latè ſtragem edant, contagiumq; illud ad modum tenue ac ſubtile eſt, ut facile penetrare qveat, *Harveus de gener. anim. Exercit.* 41. *pag.* 149. *& Exercit.* 50. *pag.* 184.

Contagium immediatum eſt, qvando duo corpora ita ſe tangunt, ut nullum aliud inter ea ſit imterpoſitum, ſed alterum ἀμέσως alterum contingat; ſic ut alterum affectum ſuum per μίασμα tribuat, alterum verò illud excipiat. *Sebizius disſert. de cont. & morb. contagioſ. theſ.* 43. Hujus contagij ſeminaria in crasſiore materiâ reſident, & ſolum per ſudores & ſordes, corpori adhærentes, alteri corpori communicantur; Contagium tum mediatum tum immediatum in peſte locum habet: ità etiam ſtatuit *Sebiz. disſert. de contag. & morb. contagio. theſ.* 122. *Febris maligna, inquiens, quæ petechialis, pulicaris & maculata appellatur, ſimiliter & per contactum immediatum & per fomitem & ad diſtans alios contaminare ſolet; eôdem plane modô, quo peſtis: niſi quod per ichores & pus, virus in ſanos non ejaculetur, cum bubonibus & carbunculis careat.*

Viæ per qvas atomi contagioſæ in corpꝰ noſtrum penetrãt & adiguntur, ſunt variæ 1. ſeminiũ malignũ per aerem diſperſum, per os, nares, poròs cutis univerſi corporis inſpiraturitotum enim corpus ſecundũ *Coum* eſt perſpirabile. 2. Per vaſa venoſa & arterioſa, per eorum orificia hiantia ut & per vaſa aqvoſa, lymphatica dicta, in qvæ contagium impresſum una cum revertente ſangvine & latice ad Cor fertur & totum corpus, niſi impediatur, poſtea inqvinat. Vid *disſertat. inaugur. Jerem. Rhetij de Feb. petechial. Cap. X.*

Cum igitur ſatis luculenter explicatum fuerit, qvid

ſit

ſit contagium, & qvod peſtis per mediatum & immediatum contagium contaminare ſoleat, noſtraq; etiam peſtis per mediatum & immediatum contagioſum inqvinamentum, ut omnibus notum, neq; ulteriori probatione indiget communicata fuerit. Hinc porrò diſpiciendum, an in noſtrâ peſte prædicta medicamenta debitô modô, & methodicè adhibita, diſtributaq; fuerint? Affirmativam qvaſi nullam invenio; Negativam probo, ſeqventibus fundamentis fultus: Qvorum primum eſt mediatum & immediatum peſtis contagium. Viæ enim infectionis noſtræ ordinariæ non ſemper fuerunt os ſuperius vel inferius; per alia etiam loca, ut ſuperius demonſtratum, poros nimirum cutis &c. miaſma contagioſum communicari potuit, neq; etiam ut antea dictum pravorum humorum in ventriculô reliqvisq; corporis partibus accumulatio peſtis noſtræ cauſa fuit, hinc etiam nulla eorum evacuntio, ac præprimis tam vehemens erat neceſſaria. Secundum ipſorum ſymptomatum in multis ſubjectis peſte laborantibus ſupervenientium prohibitio. ut ſomnolentia, petechiarum, bubonum & carbunculorum ſubitanea eruptio, alvus fluida &c. Nam paucos novi, ut ex Obſervationibus meis peſtilentialibus, quæ brevi ſecuturæ erunt, videre licebit, qvi, ſuperveniente diarrhæâ, evaſerunt. Multò minus igitur illa medicamentis vehementiſſimis procuranda erat. Et licet multi invaſionis tempore creberrimis moleſtarentur vomitionibus, tamen varias ob rationes illæ poti9 reprimendæ, qvam ſollicitandæ erant. Tertium ipſius medicamenti vel pulveris examinatio.

Color ejus ut plurimum gilvus, nonnunqvam intenſior, nonnunqvam remisſior erat, pro variâ illius præparatione. Sapor qvaſi inſipidus, im fine tamen nonnihil

ritè porrigere potuerint, cum nonnunqvam experientisſimis Medicis hoc difficilimum videatur. Et monet *Sennertus de febribus pag.* 468, in Theriacæ & medicamentorum calidorum exhibitione tempore peſtis cautelas qvasdam obſervandas esſe, ne temerè ſine ullô morbi, naturæ ætatis, ſexus anni temporis, aliarumq; circumſtantiarum reſpéctu uſurpentur. Qvanto magis hoc conſiderandum in applicatione medicamentorum cum maximô periculò conjunctorum. Vera igitur peſtis noſtræ curandæ curatio per alexipharmaca & ſudocifera fuit, qvibus etiam primas tribuiſſe videtur *Celſus*, cum plus valeat facultas venefica ad indicandum, qvam cruditas ad prohibendum. Natura enim in hiſce morbis ſtudet omnico-natu materiam venanatam ab inferioribus ad exteriora propellere, ideò utile eſt, naturæ motum talibus præſidiis juvare. Non enim vomitoria & purgantia, multi minus ἄνω καὶ κάτω expellentia huic morbo directè repugnant. Sed ſiqvid faciunt ad ſalutem, per accidens, & qvatenus conjunctis affectibus occurrunt, id faciunt, idcircò in principiò ſtatim de alexipharmaco-ſudoriferis, modo calidis, modo frigidis, utplurimum verò procujuslibet conſtitutionis ratione cogitandum. Notatu igitur dignisſima & qvidem verba *Matth. Tillingij. de feb. petechial. pag.* 257. expresſa in hoc capite colophonis locò ſubjungam: *Ergone hi oleum, quod ajunt camino addent, & quod tam promptè ſiſtere nequeunt, periculoſum alvi profluvium, ventriculiq; & totius dejectionem, temerè concitabunt? Ergone methodo curandi prorſus inverſâ ac deleteriâ utentur? In morbis enim peſtilentibus & malignis proceditur cum expulſivis & bezoarticis, â centrô ad ſuperficiem moventibus: hic verò â ſuperficie ad cen-*

trum viâ oppidò contraria ducitur. Accedit δραστικὰ ista & violenta medicamenta ob excessus tragicos jampridem infamiâ laborare, ut nec in morbis communibus adhiberi tuto possint, ut maximè præsente materiâ maligna ac venenata omnia conturbent, violentoq; modô atq; impetu, noxios tantum humores non exturbent, sed aliquando etiam sangvinem fundant, visceraq; interna corrumpant ac labefactent. Esto autem rusticanum vel fossorem unum atq; alterum aliquando in tali vomitivô periculum evasisse, rejectisq; noxijs commodius se habuisse. Certe dicimus nos, ab uno exemplo standum est minimè cum plurima in contrarium super adduci queant. Et si maximè hic vel ille (quod difficile est) evadere sustineat, nihilominus tam æger quam Medicus ingenti sese exponit periculo ac sollicitudini, cui redimendæ aliquis non modicam pecuniæ quantitatem insumeret. Quodsi insuper (id quod experientiæ adversatur) centum fortè violentam id genus evacuationem ferrent, unicus verò ab inde periret, per fidem! talis medicina, potius carnificina, in Republicâ bene constituta tolerari haud debebit. Non paucos cognoscere atq; audire hactenus licuit, qui, ubi vehementibus id genus emeticis usi, ac servati fuissent per totã vitã impetuosã medendi rationẽ istã adio habuerũt, ut etiam certa viscerũ & totius jactura affecti fuerint. Medicus itaq; temere ac tyrannice agens, conscientiam vulneret oportet, tum infamiam temeritatis mercedem, reportet, necesse est. Quod si vero id ipsum maxime artis esset, simul semelq; in morbis, maxime malignis omnia ἄνω καὶ κάτω exterminare, ac purgando evacuare velle, certe vel prudens & circumspectus medicus æq; facile nec majori cum industria atq; moderatione potionem, sive stibiatam, sive mercurialem propinare uti᷉ concesset, atq; is infusionẽ e foliis senæ, sive potiunculam è cremore tartari, atq; id genus laxantia us minoribus præscribit. Barbari est, non Christiani hominis, medica-

dicamenta per mortes, ut ait Plinius, velle experiri, atq; de corio humano ludere. Eant nunc igitur, quicunq; isti sunt, jactentq; vomitoria sua vehementissima, ex antimonio & mercurio singulari artificio præparata. Certe tyrannicum istum & temerarium in febribus malignis potechialibus & pestilentialibus medendi modum probare minime sustinemus, cum imprimis multis nominibus suspectus iste mercurius sit, etiam quoviscunq; modo atq; artificio præpaarratus, non in his tantum, sed in vulgus aribus etiam ac longe inferioribus alijs ijsq; tum continuis quam intermittentibus febribus' ut etiam cacochymia, chlorosi &c. sæpius etiam nondum usan infeste ægrotantes in enormes vomitus & singultus, dysenterias, epilepsias, convulsiones, ipsamq; subitam atq; evidentē mortis necessitatem, ut exemola proh dolor! testantur, adigat, ipsoq; facto præcipitet.

CAPUT OCTAVUM

AN MEDICAMENTUM ALIQVOD BINIS & QVIDEM CONTRARIJS TITULIS INSIGNIRI POSSIT?

QVamplurima medicamenta duobus, tribus, qvatuor & pluribus insigniuntur & insigniri possunt titulis & inscriptionibus, modô illæ ità constitutæ sint, ut sibi invicem non contrarientur. Sic erg. Titulus esse potest Potio stomachica & confortans; Pulvis stomachico-Epaticus & aperiens; Electuarium pulmoniacum, serosam scorbuti materiam incrassans, tussim sedans viresq; conservans &c. An verô medicamentum aliqvod contrariis titulis, qvemadmodum prædicti pulveres, qvando in copia desiderabantur, in dorsô circumvolutæ char-

tæ pulveres ſudorifico-vomitorij nuncu pabantur, ſuperbire posſit, adhuc ſub judice lis eſt: *Crato* qvidem *Conſ.* 275. flores antimonij albos vituperare non vult, qvia evacuent ſimul, ſudoremq; moveant. Verum cum ſudoribus, qvi tali modô excitantur, nulla mihi, neq; credibilis res eſt. Hinc illi, â qvibus talia præſcribuntur â *Mindererô pag.* 326. *bubulcorum ingenia* vocantur, *annotante Chriſtoph. Helvigiô in ſuò conſilo medico de peſte pag.* 167. Talia enim medicamenta osſunta unà cum homoribus iterum rejiciuntur, qvod plerumq; ſemi & ad ſummum unâ poſt exhibitum horâ fieri ſolet, atq; ità vires ſuas contrarias in univerſum corpus per circulationem ſangvinis ad ciendum ſimul ſudorem diſtribuere neqveant, nam ſublatô medicamentô, tollitur ejusdem effectus. Et qvomodo medicamentum aliqvod ἄνω καὶ κάτω evacuans bonum atq; laudabilem ſudorem conciliare potens ſit, non video. Sunt enim motus naturæ contrarij, & qvi, unicà vice vel ſimul inſtituti, vires, ad qvas tamen ſemper & præprimis in peſte reſpiciendum valdè proſtenunt atq; disſipant. Si enim talis motus cortrarij â naturâ malignitate humorum ſtimulatâ, & jam jam victâ inſtituantur, qvid aliund, qvam ægroti interitum indicant. Non negare volo neq; posſum medicamenta prædicta in illorum operatione ſudorem maximè in facie ad vim naturæ illatam protrudere, ſed eſt ſudor frigidus & præ ancietate egresſus, qvi potius culpandus, qvam laudandus & ita ultimum hoc caput per DEI gratiam ad finem perductum paucisſimis hiſce ad B. L. occludam: Fœcunda hæc & ampla, maximè tamen necesſaria. Et de curijs hominum ludens materia â me qvam levisſimè, tamen ſin-

ſincerè & pro tenuitate ingenij atq; temporis pertractata eſt. Plurima qvidem addi potuiſſent, ſed ea varias ob rationes adhuc reſervanda ſunt. Ubi erratum fuit, veniam petimus, & doceri cupimus. Nam ex aliorum calamitatibus dolor Medicis proprius conciliatur.

Interim O Clementisſime DEUS, Tua eſt gratia, qvod in hoc procelloſo mundi impuri pelago non ſimus ſubmerſi, neq; ab hoc gravisſimò affectu, qvi nulli crudelitatis diritate, ſævitiæ immanitate, periculi atrocitate, ac malignitatis pernicitate cedit, qvoq; nullus inter umnes, qvi generi humano inſidiatur, formidoloſior, conſumti, ſed firmo pede niſi, proximo ſalutaribus conſilijs adſtiterimus, para. labores ſuſtinere majores.

SOLI DEO GLORIA.

